Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1731
Quelle:
Copyright:

Obedientia, aliaeque Virtutes, *Victoria*, et ipse *Diabolus*, cujus tamen effata, ne inter strepat anser olores, notis muficis carent. Scenam aperiunt Patriarchae et Prophetae: *Qui sunt hij qui ut nubes?* Reponunt Virtutes: *O antiqui sancti! quid admiramini in nobis? Verbum dei clarescit in forma hominis, et ideo fulgemus cum illo*, &c. Ut etiam Diabolum audiamus, ita ille: *Fatue, fatue! quid prodest tibi laborare. Respice mundum et amplectetur te magno honore.* Totum terminatur Choro Virtutum ad hunc modum: *Ergo nunc omnes homines genua uestra ad patrem uestrum flectite, ut uobis manum suam porrigat.* En itaque Partum Seculi XII. quem non injuria πεοδεομον ejus Spectaculi dicas, quod deinceps Theatris illatum est nomine *Mystere*, *Moralité*, *Opera*, *Oratorio* &c. Illud addam, falsos fuisse *Belgas* Hagiographos, dum T. V. *Sept.* in *Comment. praevio* ad Acta S. *Hildegardis p.* 674. putabant, Harmoniae coelestis cantui voces ignotae linguae additas fuisse. Induxerat eos locus ille *Vitae* L. II. c. 1. *cantum dulcissimae melodiae mirabili protulit symphonia, et literas non prius visas cum lingua edidit antea inaudita.* Aliud docet Codex noster, cui simile nihil viderant, certe inter *Hildegardinos* amplissimos et rarissimos censendus, et, si etiam mystica abnuas, non pauca ad aevi illius mores, historiamque subpeditans.

DCCXXII.

Codex chartaceus ital. Sec. XIV. Folior. 287. 4. currente calamo perscriptus, et a. 1721. oblatus Bibliothecae a F. *Thoma M. Alfano* O. P. de quo alibi, continet *Epistolas* CC. ad Varios datas a D. *Catharina Senensi* Virgine O. P. a. 1389. vivis exemta, et a *Pio* II. P. M. inter Coelites a. 1461. relata, cujus pietatem hae spirant Epistolae non multo tempore ab ejus obitu congestae. Collectae sunt deinceps plures ita, ut editio prima *Aldina Venet.* 1500. splendidissima f. contineat CCCLXVIII. quibus in *Senensi* Opp. omn. *Catharinae* edit. ab a. 1707. 4. accesserunt inditae XXIII. Ordo porro dignitatis aut conditionis personarum in Editis observatus in Codice nostro nullus est; *Epistola* enim I. dirigitur *A frate Guiglelmo dinghilterra de frati heremiti di sancto agustino*, quae est in edit. *Aldina* CXXXV. A *fol.* 272. accedunt *Precationes* quaedam Virginis ad Deum adnotatae, ut praeferunt, ab ejus conscientiae arbitro F. *Raymundo de Capua*, qui et Vitam ejus conscripsit singillatim, jam a *Surio*, *Bollandistis*que vulgatam ad diem 29. et 30. *Aprilis*, multa item pia *Monita* ab illa data, et felix illius *Transitus*, Visioque Matronae cujusdam *Romanae* in eo Transitu; et ultima quidem haec sermone latino. Terminat Codicem *Epistolarum* Index. R. 43

DCCXXIII.